



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum

Secvndæ Secvndæ Partis Volumen Secundum

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Romae, 1619

Qualiter male accusantes sint puniendi? 4

urn:nbn:de:hbz:466:1-38762

re mouetur aliquis ad accusandum: quæ omnia secundum prudentiam iudicis debent discerni, ut non pronunciet, cum caluniarum fuisse, qui vel ex leuitate animi, vel ex iusto errore in falsam accusationem prorupit.

Ad secundum dicendum, quod non quicumque abscondit verâ crimina, præuaricatur: sed solum qui fraudulenter abscondit ea, de quibus accusationem proponit, colludens cum reo, proprias probationes dissimulando, & falsas accusationes admittendo.

Ad tertium dicendum, quod tergiuersari est ab accusatione desistere omnino, animum accusandi deponendo, non qualitercumque, sed inordinate. Contingit autem aliquem ab accusatione desistere ordinate, absque vitio, dupliciter. Vno modo in ipso accusationis processu, si cognouerit esse falsum id, de quo accusauit: & sic pari consensu se absoluant accusator & reus. Alio modo, si princeps, ad quem pertinet cura boni communis (quod per accusationem intenditur) accusationem aboleuerit.

ARTIC. IV.

Vtrum accusator, qui in probatione defecerit, teneatur ad pœnam talionis?

384
4 dif 41.
a. 5 q. 2.
ad 1. &
quod. 11.
ar. 13. co.
2 q. 3. c.
si quæ pœ-
niuerit.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod accusator, qui in probatione defecerit, non teneatur ad pœnam talionis. Contingit enim quandoque aliquem ex iusto errore ad accusationem procedere. In quo casu iudex accusatorem absoluit, ut dicitur * 2. quæst. 3. Non ergo accusator, qui in probatione defecerit, teneatur ad pœnam talionis.

¶ 2. Præterea, si pœna talionis ei qui iniuste accusat, sit iniungenda, hoc erit propter iniuriam in aliquem commissam. Sed non propter iniuriam commissam in personam accusati: quia sic princeps non posset hanc pœnam remittere. Nec etiam propter iniuriam illatam in rem publicam: quia sic accusatus non posset eum absolueret. Ergo pœna talionis non debetur ei, qui in accusatione defecerit.

¶ 3. Præ-

¶ 3 Præerea, Eidem peccato non debetur duplex pœna, secundum illud Naum 1. Non iudicabit Deus bis in idipsum. Sed ille qui in probatione deficit, incurrit pœnam infamiae, quam etiam Papa non videtur posse remittere: secundum illud* Gelasij Papæ: Quamquam animas per pœnitentiam saluare possimus, infamiam tamen abolere non possimus. Non ergo tenetur ad pœnam talionis.

*habetur
2. q. 1. c.
Euphem.*

SED contra est, quod * Adrianus Papa dicit, Qui non probauerit quod obiecit, pœnam quam intulit, ipse patiatur.

*habetur
2. q. 3. c.
qui non
probauerit.
a. 1. c. 2*

RESPONDEO dicendum, quod sicut supra * dictum est, accusator in causa accusationis constituitur pars, intendens ad pœnam accusati. Ad iudicem autem pertinet, ut inter eos iustitiæ æqualitatem constituat. Iustitiæ autem æqualitas hoc requirit, ut nocuumentum quod quis alteri intenzet, ipse patiatur: secundum illud Exod. 21. Oculum pro oculo, dentem pro dente. Et ideo iustum est, ut ille qui per accusationem aliquem in periculum grauis pœnæ inducit, ipse etiã similem pœnam patiatur.

Ad primum ergo dicendum, quod sicut * Philosophus dicit in 5. Ethicorum, in iustitia non semper cõpedit contrapassum simpliciter: quia multum differt, an aliquis voluntariè vel inuoluntariè alium lædat. Voluntario autem debetur pœna, sed inuoluntario debetur venia. Et ideo quando iudex cognouerit aliquem de falso accusasse, non voluntate nocendi, sed inuoluntariè propter ignorantiam ex iusto errore, non imponit pœnam talionis.

c. 2. fo. 5.

Ad secundum dicendum, quod ille qui malè accusat, peccat & contra personam accusati, & contra rempublicam. Vnde propter vtrumque punitur. Et hoc est quod dicitur Deuter. 19. Cumque diligentissime perserutantes, inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem suum mendacium, reddent ei sicut fratri suo facere cogitauit. quod pertinet ad injuriam personæ. Et postea quantum ad injuriam reip. subditur,

L 2 Et

Et auferes malum de medio tui, vt audientes ceteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Specialiter tamen personæ accusati facit iniuriā, si de falso accuset. Et ideò accusatus si innocens fuerit, potest ei iniuriā suam remittere, maximè si nõ calumniose accusauerit, sed ex animi leuitate. Si vero ab accusatione nocentis desistat propter aliquam collusionem cum aduersario, facit iniuriā reipublicæ. Et hoc non potest ei remitti ab eo, qui accusatur: sed potest ei remitti per principem, qui curam reipublicæ gerit.

Ad tertium dicendum, quòd pœnam talionis meretur accusator in recompensationem nocumēti, quod proximo inferre intentat. Sed pœna infamiæ ei debetur propter malitiam ex qua calumniose alium accusauit. Et quandoque quidem princeps remittit pœnā, & non abolet infamiā. Quandoque autem etiam infamiā abolet. Vnde & Papa potest huiusmodi infamiā abolere. Et quod dicit * Papa Gelasius, Infamiā abolere non possumus: intelligendum est de infamiā facti, vel quia eam abolere aliquando non expedit: vel etiam loquitur de infamiā irrogata per iudicem ciuilem, sicut dicit dicit Gratianus.

loco citā.
et in ar-
gum.

Ibidem.

QVÆST. LXIX.

De vitijs contra iusticiam ex parte rei, in quatuor articulos diuisa.

D Dinde considerandum est de peccatis, quæ sunt contra iusticiam ex parte rei.

¶ Et circa hoc quaruntur quatuor.

- ¶ Primo, vtrum peccet aliquis mortaliter, veritatem negando, per quam condemnaretur?
- ¶ Secundo, vtrum liceat alicui se calumniose defendere?
- ¶ Tertio, vtrum liceat alicui iudicium subterfugere, appellando?
- ¶ Quarto, vtrum liceat alicui condemnato per violentiam se defendere, si adsit facultas?